





8  
EXERCITATIO IVRIDICA  
DE DOTE IVRE SAXONICO  
NON CONFERENDA

E. 26  
1768, 54.  
79

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE

260  
D

D. FRIDERICO GOTTLIEB  
ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISE. CAPIT. CVRIAE IN  
PROVINCIA SVPREMAE IVDIC. LVSAT. INFERIOR. NEC NON  
FACVLT. IVRID. ASSESSOR. ET ACADEM.  
DECEMVR.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXII APRIL. A. MDCCLXIIIX.

DEFENDET

AVCTOR


IOANNES GOTTHILF HERTELIVS

ZWICCAV. MISN.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



EXERCITATIO JURIDICA  
DE DOTE IVRE SAXONICO  
NON CONFERRENDA

MASTRI IUSTITIAE CENSURAE  
D. FRIDERICO GOTTLIEB  
ZOLLERO

IN AUSTRIACIS  
DE XII TABULIS A. MDCCLXXV  
DE FINE D. F.  
AVCTOR  
IOHANNES GOTTLIEB HARTMANN

LEIPZIG  
EX OFFICINA J. J. J. J.

*Handwritten mark*





§. I.

*Instituti ratio.*



Cogitanti mihi, quodnam in exarando hocce libello pertractandum eligerem argumentum, meditationes quasdam circa caput Iuris Saxonici fatis celeberrimum proponere succurrit; non veluti difficile arduumque fore ratus sim negotium, membrum aliquod Iuris Romani, quod in disceptatione versetur, delibare, queis quippe scater istarum peregrinarum Legum ambitus; sed potius ideo, quoniam operam praeclare positam esse censui in vindicando ius nostrum ab iniuriis istarum Legum introductione illatis, et in eo, qui mihi excutiendus est, loco, absonam vtriusque Iuris confusio- nem, quantum ingenio conniti possem meo, notando. Tantus enim, uti constat, amor peregrini Iuris plerorum-



que animos tenet interpretum, quantus sufficit ad miscenda et perturbanda omnia Germanorum prisca instituta, ita quidem, ut non desint, qui Germanorum consuetudines atque mores in Germania secundum Ius Romanum diiudicandos esse perhibent, nec eorum obseruantiam, nisi cum hoc conspirent, esse praesumendam. Deriuant, quaecunque sint, vetustissima instituta Germaniae ex moribus legibusque Romanis, vixque vllius inuentionis laudem in maiores nostros redundare patiuntur, id quod praestantissimis vsque viris irreparabile damnum Iurisprudenciae nostrae inferre visum est. <sup>a)</sup> Equidem huius per leges Imperii publicas in subsidium recepti Iuris auctoritatem subuertere plane non ausim, nec eius studium, satis impeditum, flocci pendo: sed vnum illud vrgeo, modum in applicatione eius ad negotia nostra eum esse obseruandum, quem ipsa receptio subsidia-ria suadet. Deficiente enim vernaculae legis sanctione, earum, de quibus disceptatur, causarum decisionem inde petendam esse, non ambigitur, qua scilicet ratione in hoc ipso libello, quoties neque ex verbis Legis Saxonicae, neque argumento eius rem diiudicari posse, visum est, ad hoc Ius receptum prouocare mihi quoque licebit. Quodsi autem aliud negotii cuiusdam principium Ius nostrum ponit, abstrahendum sane erit a principiatis ex priori petitis. Contrarium vero de auctoritate Iuris Romani praecudicium, si multa alia, certe quoque argumentum de dote multis erroribus implicuit, qui nimio in Ius Romanum amore vires nacti sunt, ita ut, quotidie inadaequati ad nostros mores principii vestigia deprehendas. Quibus rebus adductum meditationes quasdam proponere circa Collationem dotis profectitiae, quam ab vxore Saxonica, omni Roma-

nae

<sup>a)</sup> SCHAUMBURG. in praefat. ad Introduct. ad Ius Saxon.

nae Saxonicaeque dotis discrimine fusque deque habito, exigunt, ad paternam aspirante haereditatem, cum mihi probatur, diuersam eius causam, diuersos etiam producere debere effectus, maxime in Collatione spectatas. Nullorum quidem praestantiorum virorum vestigiis inceptam viam video signatam atque impressam, nec in quibus niti possem, praeiudicia praesto sunt, sicque facile praeuideo, prurum nouaturandi vitio mihi verti posse: sed iam altum nobis ingressis, quae nos cunque tempestas exceprura est, vela facienda sunt, inque id allaborandum, qui monstramus, eam, quae nobis praesertim arrisit, opinionem, ex ipsius negotii natura enatam, rectisque rationibus esse suffultam.

## §. II.

*Dos Romana constituebatur ex necessitate a Lege  
imposita.*

Quos dissentientes recenseam, non habeo, nisi sufficiat, vno verbo dixisse, in alia omnia abire Pragmaticos omnes. Statim itaque me ad tractationem ipsam accingo, et quaedam, causam dotis Romanae, quatenus ad thema nostrum facere visum est, spectantia praemitto. MARCIANVS <sup>b)</sup> rem optime declarat, inquit: *Capite trigesimo quinto Legis Iuliae: qui liberos, quos habent in potestate, iniuria prohibuerint uxores ducere, vel nubere, vel qui dotem dare non volunt ex constitutione Diuorum Seueri, et Antonini per proconsules praesides que prouinciarum coguntur in matrimonium collocare et dotare.*

A 3

His

b) L. 19. D. de R. N.



His verbis ICtus duarum Legum seiunctam sanctionem coniunxit, vt eleganter exponit HEINECCIUS <sup>c)</sup> et GRAVINA <sup>d)</sup>. Lege enim Iulia et Papia cautum erat, vt parentes, qui liberis ad ineunda matrimonia conditionem non quaerebant, siue eos iniuria prohibebant vxores ducere, vel nubere, cogantur a Praetore in matrimonium collocare. Cumque Augustus hac Lege id potissimum intendebat, vt Romani, coelibatus nimium amantes ad ineunda matrimonia inuitarentur, orbataeque ciuibus reipublicae noua sobole subueniretur: paratissimum Antonino et Seuero visum est ad hunc finem obtinendum medium, imponere patribus necessariam filiae dotationem. Huc respicit Iustinianus <sup>e)</sup>: *Non incognitae*, inquit, *sunt Leges, quibus cautum est: omnino paternum esse officium, dotem, vel ante nuptias donationem pro sua dare progenie.* Sed moleste sedulus videret, si pluribus argumentis euincere vellem, constitutionem dotis Romanae esse necessitatis; attamen, vt magis elucescat, quantopere ab hodierna dote abhorreat, hoc adduxisse lubet. Et non possum non silentio praeterire, stipulationem dotis, etiam non adiecta eius quantitate, non fuisse inutilem, eamque pro modo facultatum patris et dignitate mariti constitui debuisse <sup>f)</sup>; tantamque pro dote profectitia fuisse praesumptionem, vt qui dotem soluerat pater, administrans bona filiae aliunde quaesita, illam de bonis suis dedisse, censeretur <sup>g)</sup> vnde non contemnendum conflatur argumentum, officium patris esse dotem constituere filiae, siue locuples sit, siue non.

## §. III.

c) Comment. ad L. Iul. et Pap. L. I. c. 5.

d) Origines Iuris Ciu. L. 36. de L. Iul. et Pap.

e) L. ult. Cod. de dote prom.

f) L. 69. D. §. 4. de iure Dot.

g) L. 5. §. 11. 12. D. de iure Dot.



## §. III.

*Collationis origo et finis.*

Nunc autem velut in transcurfu, attingamus materiam de Collatione, quam VINNIUS<sup>h)</sup> fufius, et elegantiffime pertractavit MASCOVIVS<sup>i)</sup>. Post excogitatum bonorum poffeffionem Praetor introduxit Collationem bonorum, primum quidem eum in finem, vt compenfetur incommodum, quo emancipati afficiebant fuos haeredes, per bonorum poffeffionem patriam haereditatem nacti. Imperator Leo, cuius Conftitutionem in Codice legimus<sup>k)</sup> hac ratione liberis cuiuscunque fint conditionis, fiue testato, fiue ab inteftato fuccedentibus prospici voluit, donec Iuftinianus<sup>l)</sup> fublato omni inter emancipatos, et fuos difcrimine, Collationis finem effe aequalitatem inter liberos feruandam voluit, adiecta tamen in fine declaratione: *omnibus, quae prius de Collationibus a nobis fancita funt, in fua virtute manentibus*. Nihil itaque hoc iure nouiffimo, quod per fe eft ftrictiffimae interpretationis, circa effentialia huius negotii immutavit, manentque in faluo eae Leges priores, quae non nulla oneri Collationis eximunt. Quo referendi funt fumtus ftudiorum<sup>m)</sup> peculium caftrenfe, vel quali caftrenfe, vel relictum<sup>n)</sup>.

## §. IV.

*Donatio fimplex non confertur.*

Nec porro Donatio; quam vocant fimplicem in Collationem cadere; auctor ipfe eft IVSTINIANVS<sup>o)</sup>. *Filiae*, inquit,

h) Tr. de Collationibus.

i) Diff. de Collatione bonorum.

k) L. 17. Cod. de Collat.

l) Nou. XVIII. c. 6.

m) L. 50. D. famil. ercife.

n) L. 12. Cod. de Collat.

o) L. 18. Cod. famil. ercife.



inquit, cuius nomine pater res comparauit, si non postea contrarium eius iudicium probetur, per arbitrum diuidendae hereditatis praecipuas adiudicari saepe rescriptum est. Hisce verbis, vt opinor clarissimis Imperator res donatas conferri non debere, rescripsit, idemque postea vterius explicauit <sup>p)</sup>), duas a regula exceptiones tradens, magis illam regulam de donatione non conferenda firmantes. Excepti vero casus ibi propositi sunt I.) si concurrunt liberi haeredes, quorum alter dotem, vel donationem propter nuptias, alter donationem simplicem accepit. II.) Si huiusmodi Legem donator tempore donationis indulgentiae imposuit. Ex quo fluit, si neutrum contigerit, donationem in collationem non venire. Iure suo MASCOTIVS <sup>q)</sup>), DIONYSIVM GODOFREDVM notat, qui somniauit <sup>r)</sup>) in vltimis huius Nouellae verbis, nisi eiusmodi legem donator tempore donationis suae indulgentiae imposuit, recitari fatuam donatarii exceptionem; neque enim per diuinationem donatarii fermocinantis nec vola nec vestigium reperiri potest. Stat itaque sententia, donationem simplicem extra praedictos, ab ipso Legislatore exceptos casus, collationem non subire. Quo et commode refertur, quod de relicto peculio disponit Imperator <sup>s)</sup>) nempe non conferri relictum. Hoc vero nihil aliud esse videtur, quam peculium a patre profectum, sed non ademptum, cumque in citata Lege, castrensi, et quasi annueretur, pariterque ut illa, exors collationis declaratur, quoniam pro donato habendum est, idque de generali hypothese testatur, donatum omne penes donatarium haeridem tanquam praecipuum manere. Varia in eandem sententiam

p) L. 20. Cod. de Collat. §. vii.

q) Laud. diff. §. XXX.

r) In Glossa ad L. 20. Cod. de Collat.

s) L. 12. Cod. de Collat.



tentiam Collegiorum Iuridicorum responsa allegat BERGERVS <sup>t)</sup> et LAVTERBACHIVS <sup>u)</sup> plures consentientes producit. Nec moror eos, qui de huius rei applicatione dubitarunt, cum iure Romano ob fictionem vnitatis, donatio inter patrem et filium, in sacris eius constitutum, valere nequeat, e quibus nominare sufficit CVIACIVM <sup>x)</sup> inter reliquos facile principem: quoniam hac tota distinctione superfedemus, cum sit notissimi iuris, iure nostro contractum valere inter patrem et filium inicum <sup>y)</sup>. Quid quod ipsa donationis natura tale onus plane respuit, quale foret collatio, omnes eius effectus praescindens. Prohiberetur hac ratione pater quicquam cum effectu praecipue in alterum liberorum, forsitan bene de se meritum, collocare, et inutiliter faceret. Et filio donatario euaderet magis molestum, si post mortem restituere cogereetur id, quod pleno iure possedit. Si enim, de quo nemo dubitat, valet inter patrem et filium donatio, effectus quoque sortiatur oportet, nec donatarius suo priuari lucro debet.

### §. V.

*Dotis Germanicae et in specie Saxonicae causa.*

Quibus praemissis ad naturam dotis Germanicae, et praefertim Saxonicae progredimur, ut inde in causae propositae decisionem descendere queamus. Nec in hac materia nimium excurrere fas erit, quippe quam satis in Compendiis Iuris Germanici tritam esse scimus, et a GVNDLIN-

GIO

t) Oecon. Iuris L. II. T. IV. §. 51. not. 8.

u) Colleg. theoret pract. ad D. T. de Collat. §. 17.

x) L. 3. Obs. 30.

y) Schaumburg Einleitung in die Sächsischen Rechte, Exerc. V. §. 6. Decif. nouiss. XIV.

B



GIO<sup>b)</sup> fatis explicatam. Constat et ex ipso fatis celebri FACITTI loco<sup>a)</sup>, ubi inquit: *Dotem non vxor marito, sed maritus vxori adfert.* Atque Leges Saxonum probant, dotem sensu Romano, priscis Germanis non innotuisse. Tunc enim, vt cum Iustino loquar<sup>b)</sup> *virgines sine dote nubebant, vxores eligebantur, non pecuniae.* Germanorum puellae modestia sua atque frugalitate erant vendibiles, nec oportebat maritos indignari, id quod de Romanis praedicat HEINECCIUS<sup>c)</sup>, domi alere reginas, patrimonii voragines, certissimasque fundi calamitates futuras. Haud tamen inficior, ab ista maiorum simplicitate Genium nostri seculi maximopere abhorrere, ne contra plerorumque connubiorum historiam pragmaticam offendere videar. Aboleuit paulatim dos illa a marito vxori praestanda, nisi eius vestigia in dotalicii materia deprehendere putes, ex quo puellae Germanicae didicerant coemere maritos, amoremque dato pretio sibi conciliare. Nunquam tamen necessaria dos in Germania obtinuit, quia cessante ratione, cessare quoque debet Lex in subsidium recepta. Germani etenim, non, veluti foeminarum luxuriae indomitisque libidinibus timentes Romani, coelibatum amplectebantur, matrimonia fastidiebant, illisque vagam et nefandam Romanis amatam, Venerem praeserebant; haec potius Gens robusta, nullis effoeminata deliciis, ad procreandam sobolem ita procliuus erat atque apta, ut nec vastus septentrio tot caperet incolas, sed plurimae Europae prouinciae ab iis obruerentur.

## §. VI.

z) Diff. de Coemtionem vxorum dote et Morgengaba.

a) L. III. Cap. 2. de Moribus Germ.

b) L. III. c. 2.

c) L. c. ad Leg. Iul. et Pap.

## §. VI.

*De Saxonica proficitur ex mera liberalitate patris.*

Quod attinet Saxoniam Electoralem, certum est, exu-  
lari hodie foris nostris incongruum nostris moribus, neces-  
sariae dotationis principium Iuris Romani, neque amplius,  
quibus id evincemus rationibus, solliciti sumus, necesse est.  
Legislatoris diserta prostant verba: Wenn ein Vater seiner  
Tochter keine Ausstattung versprochen hat, kann dieselbe  
auch von ihm nicht verlangt werden<sup>d)</sup>. Quibus veteris  
Germanici Iuris locus, satis celeberrimus, in usum reuoca-  
tur, quem Leges Iustinianae, interpretumque superstitio bene  
suppresserant. Quis autem non intelligat, quam longe in-  
ter se differat utriusque dotis, Romanae scilicet, et Saxoni-  
cae causa? Quam olim patri Lex iniungebat, filiae dotatio-  
nem, ex plane alio fonte fluere hodierno Iure videmus, sub-  
lata illa Legis coactione, ex mera liberalitate et munificencia  
patris, cui tribuenda sunt, quaecumque in novos coniuges  
profecta ad eorum inopiae occurrendum, remque eorum  
domesticam instruendum.

## §. VII.

*De Saxonica est vera Donatio.*

Quae cum ita sint, quod nemo profecto, cum lex ex-  
pressa adsit, negabit, liquide constat, quam male a Dote  
Romana ad nostram fiat consequentia, et apparet, hanc nihil  
esse aliud, quam Donationem eo animo factam, ut res do-  
mesticae novorum coniugum munificencia paterna subleuen-  
tur. Omnia sane donationis requisita, in hoc negotio de-  
prehendes, personam offerentem, alteram acceptantem sine  
onere

B 2

d) Decif. nouiff. XXX.

onere. Nec officit, hanc patris munificentiam nusquam donationem, sed dotem audire, sed fatendum potius est, hanc denominationem innumeris erroribus in hoc argumento viam aperuisse, et locum dedisse, quae de dote Romana obtinent, ad hanc liberalitatem inconsulto extendere, neglecto inter utramque discrimine longe eulentissimo. Nec iis deinde deesse velim, qui omnis veritatis esse principium atque fontem Leges Iustinianas sibi persuadent, aliisque persuasum cupiunt, atque, quod nullo negotio fieri posse reor, ex Iure Romano, dote Saxonicae omnes inesse qualitates donationis, demonstrare, quam eorum censuram mereri, malim. Audiamus PAPIANVM super hac re instar omnium respondentem<sup>e</sup>). *Donari videtur, quod nullo iure cogente conceditur.* Iam vero in aprico est, Iure Saxonico patris arbitrio relictum esse, filiam dotare velit? nec ne? et quando dotem filiae soluit, id ex sola liberalitate, nullo iure cogente fit. Dat praeterea qui rerum suarum dominus est, accipit, qui contrahere potest; quo, quaeso, nomine hoc negotium secundum causam rite consideratum, insigniri poterit alio, quam donationis?

### §. II X.

*Concluditur ex praemissis dotem Iure Saxonico non conferri.*

Vt vero a carceribus ad metam veniamus, praemissa breuiter repetere et quasi ruminari licebit. Dos Iure Saxonico ex parte patris est vera Donatio §. VI. Donatio in communem haereditatem non confertur §. IV. inde emergit, Dotem Saxonico iure in collationem non cadere. Haec sententia, ne Iuri Romano, et in specie titulo D. de dotis Collatione, e diametro opposita videatur, commonstrare studium, longe diuersam

e) L. 29. D. de Donationibus.



diuersam esse inter se vtriusque dotis rationem §. II. V. VI. ita comparatam, vt ab illa ad hanc valere consequentia non possit. Illa, vt supra diximus, omnem liberalitatem a parte patris praecludit, et animum alteri liberorum praecipuum quid concedendi, hinc recte filiae succedenti in patriam haereditatem in portionem suam imputatur. Longe vero alia se praebet facies dotis Saxonicae in §. VI. et VII. quae hodie est, et quae forsitan vsque fuit. Quam si quis diligenter animo et ratione lustrauit diuersam habere causam sentiet, diuersosque producere debere effectus, concedet. Si quis, vt fieri interdum solet, denominationi huius donationis, tantas tribuere velit vires, vt totam inuertat negotii naturam; is largiatur quoque oportet, operas rusticas, Frohndienste, quae seruitutes audiunt, consistere in patiendi non in faciendo; scilicet rem per simile liceat illustrare. Potiori itaque ratione a causa ad effectum progredi videor, dotem iure Saxonico ex liberalitate patris in filiam profectam, in libertatem vindicando, onerique collationis eximendo, ita quidem, ut filiae, vna cum reliquis succedenti, dos per arbitrum diuidundae haereditatis, tanquam praecipuum, sit adiudicanda.

### §. IX.

*Nec repugnat fini Collationis, aequalitati.*

Nec obici poterit nostrae sententiae, finem Collatione ab Imperatore Iustiniano <sup>f)</sup> praescriptum hoc modo impugnari, nempe aequalitatem inter liberos seruari debere: cum sufficiat in ipso textu hunc finem ita seruandum esse, asseri, ut, *quae prius de Collationibus sancita sunt, in sua virtute maneant*, quapropter res donatae semper a Collatione im-

B 3

munes

f) Laud. Nov. XVIII.

munies erunt habendae. Poterat pater partem bonorum suorum donasse inter viuos extraneo, quidni idem in alterum liberorum bene forsan de se meritum collocare? Quis tantam aequalitati seruandae tribuere velit efficaciam, vt patris voluntatem et factum annihilare, vel certe effectibus priuare possit? Accedit, quod si causam, secundum id, quod vt plurimum fit, consideremus, ipsum aequalitatis studium saepius collationem disuadeat, quam vrgeat. Ponamus: Filia succedit in paternam haereditatem, vna cum quatuor filiis masculis; in dotem acceperat mille thaleros, ast in fratribus quibusque studiorum et peregrinationum causa plus duobus millibus pater erogauit. In quam partem vergit aequitas, et quare ratione studio aequalitatis optime consulatur? Conferatur dotem filia? nec ne? Ego vero, quare deterior esse debeat conditio filiae, quam filiorum, exploratum non habeo; id quod certe statuitur, si filias Collatio dotis inconsulto iniungitur.

## §. X.

*Suntque studiorum non conferuntur, quia sunt donati.*

His enim, qui sumtus studiorum ex singulari in artes liberales fauore non conferri contendunt, non assentior, cum neque Ius Romanum neque Saxonicum singularis fauoris, neque iuris singularis mentionem iniiciat. Quamobrem eos ideo collationi exemptos esse confeo, quoniam pro donatis reputantur. In quam sententiam me potissimum adduxit Legislator Serenissimus ita disponens <sup>g</sup>). Inmassen denn auch in dem Falle, da die Unkosten so übermäßig, daß denen übrigen Kindern die Legitima geschwächt würde, daßienige, was die Rechte de inofficiosis donationibus, und sonstigen verordnet, unerrückt statt haben soll. Confirmatur ab initio

g) Decis. Ele8. LX. in fine.



In hac Decisione dispositio Iuris Romani circa sumtus studiorum non conferendos, adiecta limitatione, nisi laedam legitimam liberorum, quippe in quo casu per querelam inofficiosae donationis repeti possint. Sicut autem querela inofficiosi praesupponit testamentum, sic et hac nil potest repeti, quam quod inofficiose donatum est, ipsamque sumtuum studiorum donationem factam praesupponit. Videtur itaque his verbis, si contextum lustras, non obscure significari, sumtus studiorum pro donatis haberi, et ex hac ratione, nisi sint inofficiose donatae, in Collationem non cadere. Novum ex hac ipsa Iuris Saxonicae constitutione pondus adicitur, sententiae nostrae, donationem non conferri, et si hoc iure gaudent res filiis masculis donatae, absurdum foret, contrarium de iis, quae in filias profecta sunt eodem modo, statueri.

§. XI.

*Limitatio.*

Quaecunque autem momenta donationem in Collationem vocant, eadem quoque in materia dotis esse admittenda, lubenter largior, vtrumque negotium pari scilicet passu ambulat. Quoties itaque probari poterit, patrem dotem dedisse non animo donandi, sed credendi potius, quo modo cunque voluntatem suam declaraverit, toties filiae dos tanquam praecipuum quid adiudicari nequit, sed iniici debet cummuni haereditati, v. c. scripsit pater in testamento: Filiae meae Titiae centum in dotem dedi, quibus si contenta esse nolit, vna cum fratribus aequis partibus haeres esto; tunc pater mentem suam declaravit, se filiae dotem dedisse, non veluti praecipuum, sed futurae haereditatis portionem, qua si contenta esse nolit, in communem conferre eam debet haereditatem. Nec alios excludo modos, quibus pater legem



legem indulgentiae suae impofuerit, praefertim cum iudicium familiae erciscundae arbitrio iudicis ex aequo et bono locum dare non ignoremus. Ut breuiter dicam, quo modo cunque dos exiit qualitatibus donationis, eo collatione subiicitur, ita tamen, ut hoc debeat probari, cum haud confpiret cum dotis Saxonicae caufa.

§. XII.

Iter propofitum emenfi, hanc difquifitionem miffam facimus, non dubitantes, quin hic nofter qualifcunq; labor aliis ob fpretam Themidis Romanae formam, aliis ob deficientem Pragmaticorum adfensum, aliis ob ftili ieunitatem difplicuerit; tamen non deeffe fperamus aequiores cenfores, qui fpecimini iuuenilis ingenii, iisque quae meditatione, et ratiocinatione ex ipfa negotii natura deriuare fat egimus, aliquid dandum effe exiftiment. Iftos vero grauiores iudices latere nolim, hanc tractationem me effe aggrefsum, non animo doctorem iuris ambitiofe affectandi, fed id potiffimum egiffè, vt PATRI, PIE DEVENERANDO, quadriennii in hac Academia Illuftri ftudiorum gratia peracti, rationes redderem folemnes.



Leipzig, Diss., 1768 P-Z

X 241 7957



Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



E. 26 un. 19  
1768, 54.

79

IO IVRIDICA  
RE SAXONICO  
NFERENDA

V A M  
ORDINIS AVCTORITATE  
ES IDE

O GOTTLIEB  
LERO

C. MARTISE. CAPIT. CVRIAE IN  
C. LVSAT. INFERIOR. NEC NON  
SSESSOR. ET ACADEM.  
EMVIR.

RIO ICTORVM

. A. MDCCLXIIIX.  
N D E T

CTOR

PHILF HERTELIVS  
AV. MISN.

S I A E  
LANGENHEMIA.

